

331


329

335

325

Hunc locum Indiani habent, et officia sua in eo peragunt.

In hoc loco contemplabamur dolorem immensum Virginis,
quia omnibus doloribus cuiusvis corporeae passionis ibi eam
cruciatam novimus. Quidquid enim crudelitatis inflictum est
corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil compa-
ratione ipsius passionis, quae nimis sua immensitate trans-
fixit penetralia sui benignissimi cordis. Stabat enim, ait
Evangelista, juxta crucem Jesu Maria, mater ejus, non
utique otiosa, aut superfluis occupata, (122 A) sed mente
turbata, et voce querulosa, dicens: Fili mi, animae meae olim
consolatio et gaudium, nunc autem gladius penetrabilior omni
mucrone auctissimo. O quam infelix mihi et tibi facta est
dies illa, et quis poterit mederi vulneribus dolorum meorum?
et mitigare angustiam misellae matris tuae? Cum inspiciam
filium meum ut leprosum factum, qui speciosus eras prae
omnibus filiis hominum; ut maleficum et reum cum inquis
deputatum, qui sanctus sanctorum es. Et super omnia mihi
intolerabilia te cerno velut oblitum mei, viduae matris tuae.
Jam ecce, jam moriens, et nihil mihi dicis. Et quid faciam
ego sine te filio meo? Quo divertam. Ad quem confugiam?
Tu mihi pater; tu mihi frater; tu mea gloria. O me desola-
tam! quae tantum filium in cruce video deficere. O aman-
tissime fili, loquere mihi matri tuae, ut audiam vocem tuam,
ut sic saltim audiens verba tua patientior fiam ad tolerandam,
quae me cruciat pro amore tuo poenam, ne deficiam in hac
indicibili tribulatione. Cui quaeso me orphanam derelinquis?
His, et similibus lamentationibus in hoc loco Virgo Maria
calamitatem filii sui et suam deflebat. Quam filius videns
dixit: mulier, ecce filius tuus. Compassi ergo sumus in hoc
loco matri, sicut in monte Calvariae filio. Sed et ipsi Evan-
gelistae, qui in tanta afflictione ibi stabat, quanto amore prae-
caeteris flagrabat. Stabant autem beata Virgo, et Johannes,
et alii, non sub brachiis crucis super rupem, sed sub rupe,
contra Christi faciem.



Ende

Anfang